

meorum in corde meo, consolationes tuæ
letificaverunt animam meam.

CAPUT XLVI.

CAUSÆ GRAVISSIMÆ PATIEN-
tiæ: & de bono Crucis.

Jacobi 5. *Patientes estote usque ad
adventum Domini. Ecce agrico-
la exspectat preciosum fructum
terræ: patienter ferens donec ac-
cipiat temporaneū & serotinum.*

*Quid sit
Patien-
tia.*

*Afflicti-
ones sunt
à Deo.*

Patientia virtus est, per quam Deo
in cruce morigeramur, ejus divi-
næ omnipotentia & sapientia o-
mnia committimus, nullum tempus,
modum & locum determinamus, sed
Dei arbitrio penitus nos resignamus.
Quod ut facere velim⁹, permultas cau-
sas habemus, quarum istæ præcipuæ
sunt. I. Quia omnis nostra crux & tri-
bulatio, fames bellum, pestis & cætera
mala omnia non temere aut fortuito,
sed Deo permittente per Diabolum &
illi⁹ instrumenta nobis accidunt; jux-
ta illud Isa. 45. *Ego Dominus formans lu-
cem & creans tenebras, faciens pacem &
creans malum. Ego Dominus faciens omnia
hæc: & illud 1. Sam. 2. Dominus mortificat*
&